

## CAPUT IX.

TEMPLA AD AUGENDAM PIETATEM EXSTRUCTA SUNT.

Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templo Graeciae dicitur; quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hie mundus omnis templum esset, et domus. Melius Graeci, atque nostri: qui, ut augerent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, urbes incolere voluerunt. Afferit enim haec opinio religionem utilem civitatibus: siquidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime, et pietatem, et religionem, versari in animis, quum rebus divinis operam daremus: et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia, quae cernerentur, deorum esse plena: fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosi. Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus.

Olim tanta reverentia praestabatur templis, ut in iis exscreare aut mungere nefas esset.

## CAPUT X.

TUTA ET HONORATA INTER HOSTES PIETAS.

1. Quum Galli, capta urbe Roma, Capitolium obserderent, et ad id tantum intenti essent, ne quis hostium evadere inter stationes posset: repente juvenis Romanus admiratione in se cives, hostesque convertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. Ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu, sacra manibus gerens, quum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cuiusquam, terroremve